VITT. EMANUELE

NAZIONALE
BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
12
18 C
35

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

12
18
C
19

73 C 15
13 C 35
73.5.15.

Digitized by Google

BREVIS,

ET

APOLOGETICA

TRACTATIVNCVLA

DE PESTE,

Quæ anno 1676. Melitenſem Inſulam inuaſit.

AVCTORIS INCOGNITI

Opuſculum

Nobiliſſimo Equiti Hieroſolymitano

FRATRI DON ROGERIO

DE VIGINTIMILLIIS

Ex Marchionibus Hieracis

Ab A. M. D. Don Iſidoro Balleſtreros

Dicatum.

PANORMI, Typis Petri de Iſola 1681.

Impr. Bayas V. G. Impr. Malacrida F. C.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Google

12.18.C.35

Digitized by Google

NOBILISSIMO EQVITI
HIEROSOLYMITANO
FRATRI

D. ROGERIO

DE VIGINTIMILLIIS
EX MARCHIONIBVS HIERACIS.

IN cunis Hercules ad heroicam proluſit fortitudinem, cum ſibilantes ab Iunone angues vagitu eliſit, flammeaſque ſerpentium iras vngue extinxit infantili. Inuictum hoc certè vel vitæ exordium, vel fabulæ proſcenium puſionem fortiſſimum ad maiora natum oſtendit, dum inſolito, dixerim, viperarum augurio glorioſos præcinuit Ducis labores, portenditque ſubmittendos quà trilingues in ſtyge cerberos, quà

ferales in Lerna hydras. Ecce tibi expreſſam abſolutam tuæ virtutis panegyrim, Eques inuictiſſime: In te vno habet Alcide parem eximia hæc incogniti Auctoris proluſio, dum tuos raptat ad pedes Ceraſtæ̃ in cunctis tetriorem, tuoque iam ſiſtitur catenata obſequio luctuoſior malorũ ilias, Lues Melitenſis, peſtifero in præſens nequaquã felle grauida Lernæa hæc ſoboles, quæ, te Patrono, fato ſtatìm functa iacet; quin imò medicæ artis ſtudio, nec imperita manu membràtim veluti diſcerpta in Anthraces, bubones papulas tuo ſub iure publicæ conſulit incolumitati. Hæc etiam viridis ætatis tuæ portenta maturam prænuntiant gloriæ meſſem. Metior &

ipſe

ipſe ex breui hac vmbra montem, ex vngue leonẽ conijcio; quapropter faſtus tibi deberentur immortalitatis; at puerili te florentẽ aeuo libellũ addecet tractare, nõ librũ. Hic ſi candido Auctoris ſtylo magna in pauca contrahit, profuſaque de peſte volumina breuiuſcula diſſertatione concludit, nil ſanè mirum: te etiam Gigantem præfert, pingitque in pagina: peſtiſq; Melitea adũ Rhodi inuidiam coloſſum molitur in puncto. Quid moror? Ad viuum profecto ſuũ te refert Mecænatem qui licèt puſillus corpore, tener annis, ætate minor, magnus tamen es natalibus, magnus animo, mente, & virtute maximus, ac Patre maiorem noſtra te ſperat ætas, dum

excel-

excelſas Northmannorum Principum dotes aureà veluti in pluuia in te vnum inſtillat Regius Vintimilliorum Sanguis. Erraſſet certè fortuna, ſi dignam imperio Maieſtatem ampliſſimo ſubditorum famulatu non conſtipaſſet, ac coronam ex adamante inſignem capiti,credo, adaptaſſet tuo, ni Cæſarea, qua fulges, maiorum claritas nobiliore virtutum diademate illuſtraret. E fumoſis imaginibus ſplendorem fama addit, adeo vt quidquid Vintimilliorum Comites per ſeptena ferè ſecula glorioſius in Europa patrarunt, id totum tui nominis immortalitati communicant: vnoque in puero amamus Pietate Rogerium magnum, Prudentia

Antonium XIII. *conſilio Henricum XIV. Largitate Franciſcum X.Vigilantia Simeonẽ* XIX. *Liberalitate Ioannem* XX. *Magnanimitate Simeonem* XXI. *Fidelitate Ioannem* XXII. *uberrimique omnes tuæ familiæ auiti fontes in tui veluti confluunt meriti Erythræum. Inter lapides pretioſos opalum imitaris, qui multiformes etiam gemmas pretio vincit ſuo. In ſiculo Emiſphærio, ſidus primæ magnitudinis, quod nitidiſſimos etiam planetas lumine antecellit. Lilium denique, ac delicium, quod ad felicitatis coronidem concha lactat aureà. Clariſſimæ ſtirpis Ramos totius ferè Europæ regales adeo irrigant venæ, vt ad ſeculorum, luxu-*

riem tua Genealogica Arbor pluſquam viceſimo coniugiorum vinculo frõdes adnexerit ſuas ſtipitibus ſupra cæteros coronatis Hiſpaniæ, Aragoniæ, Siciliæ, Angliæ, Saxoniæ, Hungariæ, Burgundiæ, Alemanniæ, ac demum vtrique tùm Orientis, cùm Occidentis imperio tedas dederit iugales, quà in Irene Laſcarorum, quà in Stemma Friderici Secundi: Suos hæc maturo tempore fructus addit, Dioceſibus Præſules, exercitibus Ductores, claſſibus Præfectos, Siciliæ Proreges, Pontificibus Nuncios. Sceptra palmis victricibus fortuna maritauit, triumphalique gladio vrbes, Inſulas, Regna ſcripſit in dotem; abſolutos in Longobardia Principatus,

Co-

Comitatus in Liguria, Alpinæ ac Hieracenſium Marchionatum, Apuliam Neapoli, Calabriæ vtrãque Iſclam, Thermas, ac Cephalœdum in Sicilia. Paucis: regnum hoc totum excuſſo Saracenorum iugo Catholica ſe ſenſit ſub iura Northmannorum, vbi primum fugatis leui militum manu barbarorũ ſupra vigintimillibus Vintimilliorum Serlo I. nomen addidit, & Gloriam. Vnum pro cunctis heroem Vaticano cõplectar elogio, ac Pij II. Pontificis oraculo celebratum. Vnus nobis exemplo ſat eſt (*inquit in Concilio Mantuano ad bellum hortaturus in Turcas*) Ioannes Vintimillius, qui cum trecentis militibus

ſu-

ſupra decem millia hominum fudit, ſtrauit, deleuit: *qui in bello Africano, quod Alphonſus cū Boſpherio Pœnorum Rege geſſit, pars magna fuit, oppreſſamque Turcarum excurſionibus Epiri Acarnaniam liberauit: qui Regium Alphonſi nomen hoc in regno penè abolitum brachij virtute ſui ſuſtinuit ac conſeruauit: qui orthodoxæ Fidei columen, ac contra inuaſores belli extitit fulmen: qui fractis Marte ſuo ducibus ſtrenuiſſimis afflictas fortunas, opeſque Pontificum Romanorum ſubleuauit, Agrum Picenum, ciuitateſque plures reſtituit, redactiſque in captiuitatem hoſtibus libertatem Catholicæ Eccleſiæ, ac dignitatem tutatus eſt: ac tandem*

dem

dem, ut cum Gualterio loquar, qui ſexagies cum hoſte collixit, totidemq; victorias reportauit. *Hunc, & tu amplificandæ religionis ardorem niuea dum cruce foues, age iam, inſigni pietatis anthiperiſtaſi flammas excita martiales, pectuſque ad prodigia inſignitum bellicos meditetur auſus. Mellea Crucigerorum Equitum nutrix Melita, ac defendendæ Fidei inſuperabile propugnaculum Catholicum in te ſperat Herculem, dum magni Rogerij nomen habes, & omen. Te ſoſpite, auguratur Hieroſolymitanæ militiæ rediuiuũ illum ex Vintimillijs Laſcarem, qui totius religionis clauo aſſideat, ac contra infeſtas Thraciæ lunæ*

tur-

turmas, Inſulam pacifico protegat principatu. Hanc multiplici iure tuo deuotam nomini, tuorumque olim ſubiectam dominio propè deſertam vidit opuſculi Auctor. Sex ab hinc annis lues graſſabatur mortifera: Contagione laborabant omnia: De Melita actum eſſet, ni ſecum Diuæ Roſaliæ Lipſana Panormo adduxiſſet. Hæc ſaluti publicæ arma fuere, quæ tantæ Virginis Amazonio veluti vibrata brachio peſtiferā ſtrauere hydram. Sauciam, itaque exanimatamque tuis foribus in trophæum appendo. Cruci tuæ extinctum addico ſerpentem, vt vel reus videatur pænas luere, vel Moyſis exemplo tactis in poſterum morbo ſub aſpe-

ctum

ctum cadat. Decet planè Equiti Rhodio proſtratum, vti quondam, Draconem adſcribere, vel ſi mauis in paginis hiſce ad præludium tuæ virtutis effingo. Peſtis Meliteæ exuuias, quibus victor tanto è bello rediјt, libellus affert, tuique Palatij veſtibulo veterum more ſecurus affigo, vt mutum licet deuotæ mentis symbolum meum teſtetur erga Vintimillios animum, tibique Deo annuente portendat laureas, triumphos, Immortalitatem.

Addictiſſimus, atque humillimus Seruus.

Doctor D. Iſidorus Balleſtreros Xenodochij Magni, & noui huius Panormitanæ Vrbis Medicus ordinarius, & Cõſilij Sanitatis Deputatus.

Opu-

Opuſculi Approbatio a Medicis peritiſſimis facta.

OPuſculum quod iuſſu Reuerendiſſimi Domini mei Colendiſſimi Doctoris D. Ioſeph Bayas Vicarij,&Gubernatoris Generalis huius Panormitanæ Diæceſis de peſtifera, quæ in Melitenſi Inſula ſæuiter graſſatur, lue anno 1676. ab incognito auctore conſcriptum, ſed ſatis ſuperq; cognita præclariſſimi viri authoritate propalatum, læto animo perlegi, illudque poſſe prælo ſubijci immo eſſe immortalitati conſecrandum putaui.

Panormi 16. Octobris. 1681.

Doct. D. Andreas Vetrano Parochus Eccleſiæ Sancti Nicolai de Kalſa, Olim Medicç Academiæ Alumnus.

A M.

Digitized by Google

A. M. D. D. Antoninus Bertholo, Tribunalis SS. Inquiquiſitionis Medicus Ordinarius, & Conſilij Sanitatis Deputatus.

OPuſculum , dixiſſem melius Archetypum, in quò Peſtilẽtis morbi Melitam præteritis annis deuaſtantis Ideà graphicè delineatur, perlegi , Auctoris ingeniũ , geniumque admiratus. quemadmodum enim peſte infectos, SS. Sacramenta adminiſtrando, impauidè tractauit, ita genio impulſus ingeniosè adeo de eius eſſentia diſputauit, vt non verear affirmare, nil perfectius a quocumque magno Medico , ad Hippocratis mentem poſſe in medium afferri : Rationes namque auctoritates , & experimenta ità intentum firmant, vt cõtra-

trarium credere, ſit ſolis lumen negare, ignis calorem controuertere. Velim igitur pro viribus ſuadere Auctorem, vt qua pollet erga proximum charitate, ea ad operis impreſſionem, quam citius vtatur, quò in poſterum peruia fiat tam immanis Belluæ cognitio, exindeque facilior curatio: ſperans poſthac medicos in hoc libello, tamquam in Apollinis tabulis, veram Peſtis Iconem, & genuinam ad eam profligandam, methodum inſpecturos.

Lucubratiſſimi huiuſce Operis Cenſura Encomiaſtica Artiũ, & Medicinæ Doctoris D. Honuphrij Fortino Arcis Regiæ Parochi.

LIbellum hunc de Melita benemeritum, Melitam quidem Melitæ redditurum, ſi iterum peſtis cauſa, (quod auertat Deus) ſibi deficiat, cenſura indignum exiſtimaui; quandoquidem cenſuras ipſas ſibi Encomiaſticas fecit. Cenſuram de eo ferat, qui poteſt: mihi nec cenſura hactenus patuit, nec encomium. Cenſura ſiquidem hic habere locum non debet, vbi ſumma videntur omnia; Encomium vero ſuffragia hic non admittit, vbi Cẽſoris nomine ſcribendũ eſſet. Quid tamen? Libellus ipſemet Cenſura ſit, & encomium; ſi in eo ipſo, quo placet omnibus, quibuſdam diſpli-

cet : Diſplicentia autem iſta encomiaſtica eſt ; cum virtutis imitetur fortunam, quæ tot laudatores obtinuit, quot ſępe audijt detractores. Vnam ex omnibus peſtem excipito, quæ ſanè reprobare debuit opuſculum, cum in eo ſenſerit peſtem ſuam. Imminutam hic dicerē Medicorum gloriam ; niſi obſtaret noſter ipſe Galenus, cui placeret non parū, ſi adhuc viueret: imo cui placet plurimum quia docet in eo rediuiuus, quæ doceret alios, ſi antehac extra eum viuere potuiſſet. Lector ingenue, aut cenſuræ parcas, aut libello, cuius laus hæc eſt non minima, placere ſolum non poſſe, niſi etiam iuuet, nec iuuare tantum, niſi etiam placeat.

Cæterum Auctori nequeo quin ſuccenſeam, ſi modeſtiæ potius, quam aliorum vtilitati ſubſeruiens, eam ſuo detraxit laudem opuſculo, quam ſanè Auctoris nomen accerſe-

ret. Vtilius enim eſſe non poſſet, ſi noſſent reliqui Auctorẽ ipsũ, poſthabita vitæ cura, cum peſtis illa Melitæ graſſaretur, ad res animarum gerendas eò confugiſſe. Ego vero magna de eo dicerem, niſi vetaret. Dicerem, inquam, laudes omnes, dum nominarem. Atqui taceri vult Auctor, & non laudari, & adeo laudes reſpuit, vt ſemetipſum occultet. In hoc vno laudum omnium dignus, quod fugiendo laudes, laudes omnes ſibi pediſſequas faciat, cũ proprium hoc laudis ſit, fugientem ſe proſequi.

AD LECTOREM

PAucis ab hinc annis cum in Melitæ inſula maximam Incolarum, inibique commorantiũ partem epidemica febris immaniter diuexaret, inter Medicos Melitenſes de graſſantis morbi more acris orta lis fuit, atque controuerſia; etenim quidam primæ notæ, & apud Magnates Vrbis haud vulgaris opinionis, malum tunc temporis vagans non eſſe, niſi febrem de genere putridarum, et malignarũ; minimeq; funeſtæ luis genuinum characteriſmum præſeferentem, mordicus ſuſtinebat; quãdo reliqui omnes (aliàs verſatiſſimi profeſſores, et de re medica benemeriti) veram eſſe peſti-

len-

lentiam vnanimi conſenſu concla-mabant: nec ſolum ſententiam pro-latam per vicos, & plateas orete-nus propalare, vt à viris ſide dignis accepi, verum etiam morbum tam truci pernicie debacchantem, quodã diſcurſu graphice delineato, licet pa-rum firmis rationibus fulto, à con-tagij vel leui ſuſpicione vindicare, totis viribus, incubuit. Fortè far-tuna in manus cuiuſdam Reueren-di Religioſi omniſcia eruditione im-buti, atque ex internæ charitatis fer-uore, cum ſuperiorum aſſenſu, Me-litam tranſuecti, vt pietate chri-ſtiana peſtilenti tabo affectis Sacra-mentaliter miniſtraret, idem incidit diſcurſus: quo penſiculatius ad examen reuocato, tum abſurda, qui-

 bus

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

bus ſcatere videbatur, cum gliſcentis peſtilentiæ ſæuitia, quam corporũ cateruatim extinctorum, & contubernalium ſucceſſiuè in dies decumbentium multitudine, comprobabat experientia, fuerunt in cauſa, vt quoddam de peſte ſcriptum exararet: cuius cum varia per celebriores Europæ Ciuitates, & ſi inſcio, ac inuito Patre, fuiſſent diſtracta exẽplaria, vnum iiſdem mendis quibus tranſcriptorum ſolicitudo, ſimul & incuria deturparat, mihi comparare curaui: Quod illicò, ac præmanibus habui, ſemel atque iterũ perluſtrare minimè grauatus ſum: quando quidem tam diſertè exitioſæ luis ideam expendit, cauſas rimatur, differentias deſignat, & curatio-

rationem, experimentis comprobatã, attexit, vt nil in variorum Auctorum de peſtilentia ſcribentium lectione verſatus poſſit adnotare, quod in eodem compendioſé non ſit animaduerſum. Allexit inſuper animũ breuitatis lenocinium: & in ipſa lectione admiratione dignum exiſtimaui diffuſiſſimam de Peſte tractationem eruduiſſimum Patrem appoſité paucis perſtrinxiſſe. Vndè aureum verè opuſculum haud publici iuris facere, Typographiſque, vt quam citò ſub prælo gemat, non committere, meherclè piaculum duxi. Fruere igitur amice Lector lucubrationibus, quas tinearum cariei tenebriſque obliuionis mea opera diligenter ſubtraxi; Non enim Pro-

 feſ-

feſſor eſt, aut inanis gloriolæ auidus, qui libellum hunc conſcripſit: & interim æqui bonique conſulas quicquid ego hic pariter laboris impendi. Panormi 3. Idus Septembris 1681.

Art.& Med.Doctor D.Iſidorus Balleſtreros Xenodochij Magni, & noui huius Vrbis medicus ordinarius, & Conſilij ſanitatis Deputatus.

BRE-

BREVIS,
ET
APOLOGETICA
TRACTATIVNCVLA
DE MELITENSI PESTE.

Ad Amicum Eruditiſſimum Ioãnem Dominicum Sceberras totius Melitæ Prothomedicum.

SCRIPTVRAM a te mihi miſsã nudius tertius auide perlegi,&auctoris peritiã admiratus ſum: verum difficillime inducor meam de illa in medium proferre ſententiam; nũquam enim arti medicę ſtudui, nun-

Digitized by Google

nunquam profeſſus ſum, &, vt apertius dicam, nec à primo limine (quamuis aliquam a natura mihi inſitam inclinationem expertus ſim) illã ſalutaui. Vereor, ne mihi de peſte diſſerenti quis illud peruetuſtum dictum in faciem proijciat, Ne ſutor vltra crepidã. Sed vt tuis paream mandatis, meum aperiam ſenſum, hac tamen lege, vt hæc pagina lucem non videat, niſi tuæ domeſticæ habitationis.

Miror equidem, & admiror, virum tantum, eruditum, in medicinæ ſcientia maxime pollentem, & quod maius eſt, prudentia ornatum, hanc ſibi parũ

pro-

proficuã prouinciam arripuiſ-
ſe, vt conſtanter aſſereret, mor-
bum hunc, qui hactenus hanc
Inſulam vſq; ad perniciem vl-
timam defatigauit, peſtem ve-
rã non fuiſſe; cum ipſa, etiam
pueris ipſis detecta fronte fre-
quenter obuia conſpiciendam
ſe ſe obtulerit. Quid enim
quæſo nomine Vrbis peſtifero
morbo affectæ apud mortales
cuiuſcumque ordinis, venit?
niſi illa, in cuius ægris Bubo-
nes naſcuntur, Carbones, An-
thraces, Maculæ, & cætera hu-
iuſcemodi Exanthemata? inſu-
per funera frequentia poſt pri-
mum, vel alterum, aut tertium
diem ægritudinis paſſim con-

ſpi-

ſpiciuntur? At mala hæc omnia regionem hanc occupaſſe, ipſimet teſtentur, qui euaſerũt, vel tanquam ſanitatis miniſtri ſuiſmet oculis vſurpauere.

Sed age iam veniamus ad Medicorum argumenta, licet non Medicis, & Philoſophiæ lumine dubiorum depulſis tenebris, ratione tanquam enſe, Gordianum hunc nodum diſſoluamus. Interrogemus peritos in arte, quidnam ſit germana peſtis? in quo eius eſſentiam conſtituant? Præſto eſt in primis Ficinus inter illos ſapientiſſimus, qui hãc definitionem aſſignat in Epidemijs. *Peſtis eſt venenoſus quidam vapor vitali*

Ficinus

ini-

inimicus ſpiritui. Vapor venenoſus, ait, non formaliter quidem, & in ſubſtantia, vt ipſemet aduertit,& optime; omnes enim ſic, quos inficit, prorſus perderet; ſed venenoſus dicitur, ex eo quia in venenoſam qualitatem facile ſe conuertit ſecũdum diſpoſitionẽ ſubiecti: & hinc deinde prouenit quod multi euadere valent. Sed multo ante Hippocrates artis medicæ Princeps tertio Epidemiorum hoc ipſum docuit. *Peſtis eſt*, ait ipſe, *vbi quamplures ægrotant,& moriuntur*. Quæ verba deinde Galenus ſuo declarat commento,hoc modo. *Peſtilentes fuiſſe morbos qui populariter* Hippocr. Galenus

graſ-

graſsabãtur, demonſtrat. Sed hæc alijs non peſtilentibus morbis ſæpe ſæpius ſunt communia: quæramus igitur differentiam.

. Quatuor ad conſtitutionem veræ peſtis Auctor ipſe cõtrarius qualitates requirit, nimirũ Bubones,Papulas,Anthraces,& Maculas: deinde duas alias cõmemorat. nempe Quintã. Si malum videlicet vnius familiæ, aut perſonæ ad alium tranſcẽdit per contactum,& fomitem; & peius, ſi hoc ſit indiſtans. Sextã. Si moriãtur omnes perſonæ alicuius familiæ, & paruo temporis interuallo. At ego claritatis gratia, ſeptimam addam. Quia febris ſi peſti-

lens

lens ſit, periculoſiſſimorũ ſymptomatum agmine circumfulta, vomitu, ſcilicet, alui profluuio, ſyncope, capitis dolore, vigilia, delirijs, & his ſimilibus miſerum ægrotum eò torquet, ac dilaniat, vt inde natura viribus pene omnibus deſtituta ipſius vi ſuccumbere neceſſe ſit. En tibi doctiſſimum Marcum Antonium Alaymum de hac febri diſſerentem; eius verba adducam. *La febre della peſte in naſcere arriua ſubito al vigore, & hà tutti i ſintomi inſieme. Li polſi in tali febri ſono deboli, piccoli, duri, e inordinati nel principio, come ſe il morbo foſſe di molti giorni, e come nel vigore delle febri maligne.* *Alaymus*

ligne. Et citat Auicennam, qui poſtquam de ſymptomatibus febris peſtiferæ diſeruiſset, addit: *Hæc quidem febris incipit cũ*

Auicen. *accidentibus prædictis, cum fortitudine ſua, & venit res eius ad ſyncopem, & frigus extremitatum*. Quod ab Hippocrate prius didicerat, qui de peſtilentia ſui tẽporis ſic fatur: *Siquidem febris acuta eos corripiebat, à qua parum rigebant, inſomnes erant, grauiter angebantur. ſitibundi, faſtidioſi, paululum in fronte, & clauibus ſudabant*. quæ omnia, ſi attendas, in Melitenſi hac peſte accidiſſe, facile inuenies. Sed hactenus de febri: nunc alia ſigna aggredior; & omiſſa Papula, quæ.

quæ aut parũ, aut nihil à Carbone diſtat, de quo infra dicemus, de Maculis, vulgo *Petecchie*, pauca loquar.

Maculæ iſtæ non eundem in peſte, ac in cæteris morbis, vultum proferunt; in his enim coloratæ, rarò nigræ, ac latæ, & non ſemper mortiferæ, morſibus pulicũ ab auctoribus æquiparantur. In peſte vero ſæpe latę, & nigri coloris, raro pulicũ morſibus ſimiles, proximum interitum potius indicant, quã periculum. Sed iuuat de hac re audire peritiſſimum Alaymũ. *E noi viddimo nella peſte di Palermo, e del Regno (il che tutti gli Autori di peſte affermano) che in* *Alaymus*

C *appa-*

apparire à gl'infermi le Petecchie, di repente moriuano, perche volendo la natura cacciar la peſtilente materia alle parti emontorie per fare il Bubone, ſuo proprio caratteriſmo, e trouandoſi à ciò impotente in quel la lotta, che fanno la natura, che la caccia, e la materia che reſiſte, ne ſiegue vn interno bollimento, e commotion di humori: onde non ſolo gli altri humori ſi contaminano, ma le parti icoroſe della peſtifera materia, come più ſottili, leggiere, e penetrabili ſe ne vengono alla periferia, o pelle, che vogliam dire, e ſi formano quelle macchiette chiamate da' Latini, Exanthemata, e volgarmente Petecchie. Ma perche reſta nel centro la ma-

teria groſſa, non potendo formare il bozzo, ò perche la natura è impotente nel cacciare, ò perche la materia tenace non ſi laſcia cacciare, ò perche reſiſtono gli emontorij à riceuere detta materia, di neceſſario il peſtifero veleno nell'interno reſtando, corre al cuore, e vccide con velocità l'infermo.

Et huius rei præclarum præ manibus habeo documentum ipſiſmet oculis vſurpatum Romana in lue anno 1656. ibi enim ego in miniſtrandis vltimis Sacramentis peſte infectis addictus per Vrbem, vbi maior pars languentium iacebat (in odio enim apud omnes erat vel ipſum Limodochij nomẽ)

vocatus , vt nobiliſſimæ fœminæ (Fuluia Teſti illi nomen erat) meam operam præberem , præſto fui , aures confeſſioni dedi , & dum cibum diuinum ei porrigere ſtudeo , ecce tibi maculam in fronte ægræ video, & quidem latam , nigramque , mox alteram, tertiam , & quartam ; & quid dicam? modico temporis interuallo totam prorſus faciē, manuſq; maculis his depictas aſpicio; nec lōge aberat mors ; poſt mediam horam e vita diſcedit . Quod alijs Romæ , & hic Melitæ quamplurimis eueniſſe , ex Medicis ipſis cognoui . Carbones verò tertiū Exā-

the-

thematum genus, quod Græci Anthracem, Itali verò, vel Siculi *Traſcinam* appellant, vbi peſtilentiæ non eſt ſuſpicio, ſuum habent remedium: *In Augerius.* *conſtitutione peſtis imaginari ſe vix poſſe*, ait Augerius lib. 8. de febribus *non peſtilentem naſci carbunculum, venenoſum, ac mortiferum, qui buboni ſimilis, illum ſæpe ſæpius comitatur.* Vnde Maſſa relatus à Petro Pariſi Drepanitano Medico, ait: *Massa.* *Carbunculum raro ſolum eſſe in peſte.* In Romano contagio in parte corporis ſolida prope oſſium compaginem ſedem habebāt, & multos iugularunt, vt ego non deſes illius peſtis Romæ

obſeruator, & hic Melitæ, à multis fide dignis accepi.

Non ita ſe habent Bubones qui in partibus emunctorijs erumpunt. docet hoc præter experientiam Medicorum facile primus Hippocrates 3. Epide-
Hippocr. miorum ſec. 3. *Tumores*, ait ille, *aliquando poſt aures, aliquando ſub alis, & interdum ſub inguinibus contingunt, pro vt cerebrum, cor, hepar laborat ſecundum internam humorum diſpoſitionem.* Sed frequentius ſub alis naſci, putat Alaymus, qui hoc Panormitana in peſte obſeruauit anno 1624. & pluries in ſuo libello Bubonem germanæ peſtis characterem appellat. Et Riue-

rius

rius cap. 1. lib. 17. de febri peſtilenti idem affirmat. *Quæ tumorum genera*, ait ipſe, *in febri verè peſtilente potiſſimũ apparent: præſertim Bubones, apud vulgum peſtis nomine donantur*. Nec paruipendenda eſt hæc vulgi opinio, præſertim in hac materia: Audiendus eſt Petrus Pariſi, qui in Galeni ſententia loquutus ſic ait: *Il volgo ſouente ſuol hauere più peritia nella peſte, che i più dotti Medici, come ſtima Galeno, affermando nella lunga peſtilenza de' ſuoi tempi, hauer conoſciute più di 600 perſone appeſtate, nella cognitione delle quali i Medici ſi vedeuano eſſere meno accorti, e manco eccellenti, anzi più ignorãti* Riuerius Pariſius

della plebe, e di qualunque ineſperto plebeo, per l'eſperienza di coſtoro, e poca pratica di quelli; perche ſecondo quello, che ſcriſſe Manilio: Per varios caſus artem experientia
Manil. *fecit*. Vnde Fallopius doctiſſimus præteriti ſæculi Medicus veritate ipſa compulſus, faſſus eſt ingenuè, plus vna die didiciſſe Paduana in peſte, quàm multis ante actis annis, quibus in varijs Academijs docuit, & accuratè ſcripſit; & cauſam hu-
Fallopi. ius rei protinus declarat, *quoniam res experimentum requirit, & cognitio mea antea vocabatur imperfecta.*

Verum enimuerò multos hucuſque ex Medicis cognoui, audi-

audiui, illiſq; valde familiariter vſus ſum, Gadibus in Hiſpania Valentiano: Romæ Aquilano, in Sicilia Barbadoro Caltaieroněſe, Ioachimo Spirlinga, & Octauio Cĕtonſi, Mazzarinĕſibus, Criſpo Drepanit. Blaſco, Stella, Antonino de Auguſtino maiore Saccenſibus: Panormi verò Mancuſo, Marco Antonio Alaymo, eiuſdemq; filio Ioſepho, Antonino Bertolo, vtroque Catania, Balſamo, Iſidoro Balleſtreros, Fortino in medĕdi arte præſtantiſſimis Viris. Ad hæc multoties Medicorú Collegijs interſui, non vtique vt Doctor, ſed auditor, vel noſtrorum, vel externorum mor-

bi

bi occaſione;numquam tamen ne verbum quidem in malignis febribus de bubone audiui; niſi forte intelligere velimus nomine bubonis, quod ſæpe ſæpius Doctores vſurpāt, *Parotidem*,quæ multum à peſtis bubone diſtat: ipſaq; ſub auribus,& nō ſemper quidem, nec 1. 2. vel 3. die, ſed 7. 14. & aliquando 21. erumpere aſſolet. Bubo autem non ſic, ſed ſtatim, & in omnibus emunctorijs, vt dictum eſt,ſe prodit. Et quidem Parotidem nomine Bubonis appellat Alaymus his
Alaymus verbis: *Il Bubone maligno, di raro vccide, e per lo più tutti ne ſcāpano: dico di raro, perche ſuccede*
alcu-

alcuna volta , che per impotenza di natura ,non potendo perfetta mẽte cacciarſi fuori la Parotide (ecce tibi quomodo Alaymus Parotidem cum bubone confundit) *n'entra in alcuna delle parti principali quella materia, & uccide l'infermo . E per contrario il Bubone di peſte la maggior parte uccide , e pochi ſene ſaluano.* Quod ſi præter Parotidem cũ Ludouico Mercato , Merçuriali, Diomede in magnis febribus non peſtiferis alios Bubones eſſe cõtendas,vltrò cõcedã;erũt tñ ignobiliores, nullius nominis tumores,&minime attendendi . Et de his loquutus eſt Hippocrates , teſte Alaymo , quando aſſeruit: *Om-* Hippocr.

nis

nis febris ex Bubone mala præter diariam. Huiuſmodi enim Bubones, ait Alaymus, *Giancoloni li chiamiamo in Sicilia*, & ex parua plaga etiam erumpunt. Non ita ſe habent Bubones in peſte, maligna qualitate conflati: primum enim locum in curatione obtinent. Sunt huius generis bubones, qui diu hanc Inſulam vexauerunt, an non? domeſtica etiam exempla poſſem in medium afferre illorum peſtiferæ qualitatis, ſed parco: clara enim res eſt, ne videar Phæbo ipſi radios addere: tot teſtes, quot ciues habes.

Sed dices: tres vidi extinctos ex Matthæi Bonici familia, &

in

in vnius paruæ puellæ inguine exigua puſtula apparebat. Quid tum? per hoc ipſum fuiſſe peſtiferum, ac venenoſum morbum conuincitur: naturæ etenim vi veneni proſtratæ vires non ſuppetunt ad illud foras emittendum. *Sæpe enim accidit*, ſunt verba Sennerti, *vt antequã illa erumpant, veneni vehementia æger moriatur; ſæpe etiam virtus ita debilitata, & oppreſſa eſt, vt veneni ad exteras partes corporis nullam expulſionẽ inſtituere poſſit.* *Sẽnertus* Sed in hac re emendicatis rationibus, aut exẽplis non egeo, domeſticis abundo documentis. Romana in lue poſt bimeſtre, ex quo adminiſtrandis Sa-

cra-

cramentis in ægrorum benefi-
cium operam nauaram, in
morbum incidi nocte intem-
peſta, & fuit quæ præcedit cō-
memorationem omnium fide-
lium defunctorum: experge-
factus humorum commotio-
nem in me ſentio: pulſo, fe-
brim inuenio, hinc me peſte
afflatum facile conijcio, digitos
adhibeo ad faciem, ſub auribus
primò, deinde ſub brachijs, de-
nique in inguinibus, & nullum
prorſus ſignum inuenio; tan-
dem replicata digitorum preſ-
ſione tumorem ad inſtar parui
ciceris in ſiniſtra inguine non
doloroſum adeſſe agnoſco, qui
tamen ad extremum vſque ſpi-
tum

tum duorum dierum ſpatio ita me perduxit, vt niſi S. Ignatij Loyolæ miraculum interceſſiſſet, vitam cum morte commutaſſem. Non ita Socio meo accidit: correptus peſte eodem ſane die, quia Bubo ſtatim erupit, & quidem in magnitudinem magni oui, non longo temporis interuallo immunem reddidit ægrum, adhibito ferro ad humoris emiſſionem. & audebit quis in dubium reuocare, peſtem non adeſſe, ſi bubones, (germanæ peſtis Characteriſtica à Doctoribus paſſim nuncupati) ſtatim ſe produnt? vt in Melitenſi hac peſte euenisse, ſatis diligenter obſerua-

ua-

uatum eſt. *In Italia, & Venetijs*, ſcribit Ioannes Gemma, *potiſſimum ſolent graſſari febres lenticulares, vel peticulares, nihilominus medicis non interdici, vt eos viſitent; ſed cum apparere incipiunt iſti tumores, tum domus ægrotantium claudi: & non ſolum Medicis, ſed & alijs prohiberi ſub capitali pæna, ne tales ægrotos viſitent.* Sed ad hanc veritatem luce clariorem firmandam ad inſtar omnium valeat Riuerij auctoritas, qui ſic verbis minimè æquiuocis loquitur: *Solo Bubone peſtis indagatur.*

Gemma.

Riuerius.

Verum ad germanam peſtem dignoſcendam duas adhuc qualitates requirit Auctor

nimis

nimis ſcrupoloſus; nimirũ primã ſi moriãtur omnes perſonę alicuius familiæ, & paruo temporis interuallo. Alteram, ſi malum vnius familiæ, aut perſonæ ad aliam tranſcendat per contactum, & fomitem, & peius eſt, ſi hoc per diſtans. Dabo ambas in peſtilentia hac Melitenſe: ſed hiſtoricum agã fideliſſimum; Audi. Domi cuiuſdã, qui Decori dicebatur in ſuburbio ſexdecim victitabant; omnes interiere, & paruo temporis interuallo. Idem accidit Eleemoſynarij Dumes, ac Bẽdolfi familiæ, in quibus quotquot morbus inuenit, cõtinuo iugulauit. In Inſula omnes Ca-

ſàr familiares deſiderati ſunt. Hìc verò in vrbe Valletta propè Templum S. Pauli quatuordecim vi morbi defecerunt, hoc eſt, tota familia vnius habitationis: duodecim de domo Petri, & Pauli Cianti; totidem etiã in domo Marini cuiuſdã non longè a Conuentu Sanctę Mariæ de Ieſu: nouem ex familia Staini: & longũ eſſet cunctos recẽſere. In ſequẽtibus habes contagiũ, & fomitẽ, de quibus maniſeſtũ exemplũ adducã in ſuburbio. è domo Mercatoris Pozzæ, merces extractę domos, & habitatores ipſos quamplurimos peſte affecere, & perdidere: & in hac Vrbe

Val-

Valletta quidam ex religioſa familia laicus veſtes, ac rem familiarem effodiens, mortem mortifero morbo afflatus inuenit, & Vrbem iam purgatam fædauit. Ex dictis facilè conijcere potes actionem in diſtās; vbi enim quis in qualibet familia morbo correptus videbatur, vno, vel altero excepto, quorum erat infirmi curam gerere, reliqui ſtatim fugiebant, & quāuis præſeruatiuis ſe munire ſoliti erant, peſtis tamen in laqueos vt plurimum inciderunt. I nunc, & peſtem hanc nega, digitoque vt aiunt, Solis ſphæram abſconde.

Quæris, & alia Melitenſis

peſtis argumenta? accipe. *Tē-* Ficinus. *pore peſtis*, ait Ficinus, & cum eo omnes ferè Medici, *omnem infirmitatem ad peſtilentiam facile tranſire, vnde nulla ægritudo præter peſtem apparet*. Et in hoc celeberrimo Xenodochio languentium multitudine æſtiuo tempore frequentiſſimo, hac tempeſtate pauci numerabantur. *Peſtis tempore*, ſequitur Ficinus, *pueri vermium infirmitate laborantes*: & huius Inſulæ incolas quamplurimos diuerſi coloris, ac qualitatis vermes, hoc tempore euomere ſolitos eſſe, ſuiſmet oculis multi cōſpexere. Sed mori omnes in vera peſte moris eſſe, inclamat

Auctor ipſe. Mori omnes? Nõ ita ſumenda ſunt Doctorum verba, vt omnibus exitium pariat morbus iſte, & non ſit ſuperſtes vnus, vel alter, qui ſeruorum Iobi more funeſtum afferat nunciũ. Mori omnes? Et quis vnquam tale audiuit? Peſtis enim licet maximum ſit malum, & exitiale, tamen, vt diuinæ Iuſtitiæ miniſtra, parum exiſtimari non debet, ſi decimam exigat; nunc verò ex ſexaginta Inſulæ incolis nouem millia trucidare auſa eſt. Mori omnes? nõ ſic Galenus Medicorum Magiſter opinatur. *Peſtis eſt*, ait ille, *vbi multi vno morbo corripiuntur eadem tempeſtate*.

Verū enim verò ſi vera loquamur, omnes mori debuerant, ni vigilantiſſimus Princeps, qui ſummum Imperium obtinet, ſuæ ampliſſimæ mentis conſilio, aduocatis vndique in medica arte peritis, magniſque ſumptibus importata etiam annona, optimis viris ægrotorum demandata prouincia, ac ſanctiſſimis legib⁹ inſtitutis peſtiferi morbi virus abigere, atque exterminare ſtuduiſſet. Debetur hoc etiam Illuſtriſſimorum Senatorum prudentiſſimis decretis, & tibi quoque optime Medicorum Præſes, tuoque commilitoni familiari meo in Arte medica doctiſſimo Viro Tho-

mæ

mæ Aquilina, qui diu in arcẽdo hoc tãto malo ab huius Inſulæ finibus ſimul deſudaſtis.

Denique Auctor ipſe initio ſui manuſcripti nulla eſſe febris peſtilentis ſigna eſſentialia fatetur. *nam cum peſtilentis*, ait ipſe, *veneni formalis ratio nobis ignota ſit, oportet & confiteri, eſſentialem eius differentiam ignorare.* Si ergo amabo te, eſſentiã peſtis ignorat, cur hanc negat? nemo etenim iure quid negare valet, quod ſibi non innoteſcere cognoſcit.

Sed reuera ignotãm nobis peſtis eſſentiam eſſe, ac differentias, ignota, & remedia, haud dubium eſt. Hinc mirum

non eſt, quod quæ vni morbo peſtifero proſunt, alteri noceãt. In Romana lue, quam germanam fuiſſe huius Melitenſis, & ouo prognatam eodem, aſſerere non dubito, obſeruatũ fuit, omnes, quibus vena ſecta fuerat, interijſſe: quod idem eueniſſe ſub initium hic Melitæ, ſunt qui me docuerunt. Et ratio huius mali in promptu eſt, nam per ſanguinis effuſionem franguntur vires, & facultas vitalis labefactatur ad expulſionẽ mortiferi veneni per bubonem, in qua tota ſpes ſalutis ſita eſt. Docet hoc inter alios Riuerius in ſua medica praxi: *Apparet*, ait ipſe, *in vera*

Riuerius

ra

ra peſte, in qua multorum, & probatiſſimorum auctorum experientia omnes ægroti, quibus ſecta vena fuit, e medio ſublati ſunt. Et firmat etiam rationem, *ſicut, & qui poſt ſectam venam venenum hauſerunt, & facilius hoc penetrat, & illi difficilius liberantur*. Et tamen nō deſunt magni nominis Medici, qui contrariū contendant, inter quos Fiaſcetta Venetus, qui in peſte Romana emiſſionem ſanguinis paſſim ordinabat. Vſus Theriacæ in peſte maxime laudabilis omnium ſententia; & tamen Romæ, vt ego ipſe teſtis oculatus affirmo, multos perdidit, & inter alios Oratorem Venetū ad

Pon-

Pontificem: Moderatum tamē vſum laudarem potius auctoritate Ficini ad conſeruationem.

Sed omnino tenendum eſt, mortales peſtis medicinā prorſus ignorare; flagellum quippe Dei eſt, & malū, cuius remediū ſibi ipſi ſoli reſeruauit omnipotens, vt omnes fatentur in medica arte periti. Multos poſſem adducere, ſed præſtat ſolū Ioannem Cratonem audire, qui Conſilio 266. ait: *Verum peſtis antidotum ſoli Deo notum eſſe, non eſt dubium.* Et Epiſt. 131. *Antidotum peſtilentis veneni in Diuina manu eſt.* A qua tamen deuotiſſimi huius populi lacrymas, preces, & ſupplicationes

Crato.

ab

ab Illuſtriſſimis Præſulibus ad hoc inſtitutas, ac nobiliſſimorum Equitum pietatē, ſummāque in pauperes liberalitatem auxilium obtinuiſſe, haud dubium eſt. Et quidem periucūdum, ac pium ſpectaculū erat, nobiles viros ætate florentes, Vrbis, ac Xenodochij præfectos, quibus ciuiū ſalus demādata erat, per vrbanos vicos, cernere ſudoribus madidos, ac fractis penes viribus, his, vt ſe domi contineant, iubere, illos morbo affectos ad Xenodochiū ducere, ſolari verbis, largitionibus iuuare, eo ſpiritus feruore, vt veſtes etiam proprias, ad fouenda pauperum membra extra-

tra-

trahere, & mortem deniquè oppetere ad charitatis perpetuę exemplum, non dubitarint.

Hæc pietatis officia opportunum a Cælo auxilium impetrarunt; adfuit etenim ex tempore ſuis Chriſti Præcurſor Sãctiſſimus Ioannes, huius Illuſtriſſimi Ordinis Patronus, ac pater: adfuerunt, & Principes Eccleſiæ Petrus, & Paulus totius Inſulæ protector; Sanctiſſima Mater Genitricis Dei Anna, Sanctiſſimi Sebaſtianus, & Rocchus aduerſus peſtilentiam propugnatores; quin imò & Beatiſſima Virgo Roſalia totius Orbis Chriſtiani amor, & deſiderium, cuius reliquiæ ſta-

tim

tim ac Inſulã tenuere, mirabili odore ſuo, (Cæli enim roſa eſt) venenatum Draconem, ac mortiferum profligauit, in fugam vertit, ac roſeo ſuo ore, ſeu vt rectius dicam, rore cæleſti ignem peſtiferum extinxit. Age iam inuictiſſima Inſula in genua prouoluta ante ſpõſam Chriſti amantiſſimã Roſaliam, ſub eius patrocinijs te, tuoſque alumnos ſubmitte, eã elige in Patronam, vt te, tuoſq; omnibus malis immunẽ perpetuo ſeruet.

Poſtulas a me, Amice, etiam, atque etiam, vt aliquid de peſtis cauſis dicam: vtrum ex vario ſtellarum aſpectu, an ex eclip-

clipſibus, an ab aere tetris tel-
luris vaporibus affecto, an ab
annonæ caritate, aut vitio, an
à contactu denique proueniat.
Et quidem omnibus in locis,
vbi peſtis graſſari cæpit, ſtatim
hæc quæſtio inſtituitur. Inſti-
tuta eſt etiam Romæ, ſed in-
deciſa remanſit, & adhuc ſub
Iudice lis eſt.

Petrus à Caſtro Veronenſis
ſeptem naturales aſſignat cau-
ſas peſtis Prima eſt ſyderũ po-
ſitio. Secũda Cometa, qui num-
quam impune viſus, cum diſ-
ſoluitur, neceſſario in ſubiectũ
aerem ſpargit ſuæ conceptio-
nis inquinamenta, ſuæ combu-
ſtionis cineres, qui ad inſtar

Digitized by Google

atomorum in inferiora corpora ſeminantur, ac decidunt.

Tertia habetur ex cauſis ſuperioribus à quibus dependet Elementalis ſuis qualitatibus primũ nimium excedentibus plena;& ſic a cęlo,& aſtrorum poſitu in elementa poteſt peſtilens, & corruptiua diſpoſitio tranſire.

Quartà causã alij referunt in vapores ex aquis ſtagnantibus, in quibus computruerint cadauera, eleuatos,à quibus inficiatur aer; cadauera, inquam, non ſolum humana, ſed brutalia: ad plantas etiam putreſcentes,quæ prauam ex ſe mittunt exhalationem, vt ſæpe fit

ex

ex Cannabe in aquis putreſcẽte. Brutorum enim Cadauera, poſſunt ex ſe emittere ſpiritus; Exemplum refert Paulus Iouius de prægrandi Ceto ad ripam maris reiecto, ex quo tota Liguria infecta fuit contagio.

Quinta poſſunt eſſe Exhalationes, ſeu Halitus denſiores ab antris, & ſpecubus, aut terrarũ hiatu per terremotũ facto, qui graſsãtem aerem perniciosũm reddũt. Euſebio teſte anno primo Veſpaſiani ab ingenti terremotu vniuerſa fereItalia maxima peſte extincta eſt, vt Romæ quotidie decem hominum morerentur millia: & in hoc caſu Bruta prius inficiuntur, &

pe-

pereunt, quia cum prona incedant facilius expirantes halitus deleterios hauriunt.

Sexta ſunt praua alimenta, vt frequens vſus leguminũ, ac herbarum:& vix dabitur peſtis, quam non præterijt fames, aut comes ipſius fuerit, per annonæ caritatem; prauis enim veſcuntur plebei alimentis.

Septima deniq; haberi poteſt ex maleficio, vt ex Liuio, Dione, Niceno conſtat; tempore enim Commodi Imperatoris, refert Nicenus, Peſtem in Vrbe graſſantem vna die bina hominum millia interfeciſſe, cum malefici homines mercede pellecti res veneno

oblitas inijcerent.

Eaſdem fere cauſas aſſignãt, ſed diuerſis terminis alij auctores, inter quos Iulius Palmarius Pariſiẽſis diſtinctius, ac fuſius de eis loquens.

Daniel vero Sennertus à Quercetano relatus ad cauſam primam recurrit his verbis: *Cum alius morbus nullus ſit qui genus humanum affligat acerbius, ac vehementius, quàm peſtis, in cauſa eius inueſtiganda ſupra aliorum morborum cauſas aſcendendũ eſſe tacitus fere omnium hominum conſenſus probauit. Neque ſolum veri Dei Cultores calamitatem hãc à Deo hominum peccato plectente prouenire cognouerunt; ſed ethnici*

quo-

quoque, & Idolorum cultores idem profeſſi ſunt. Hippocrates ipſe omnium Magiſter cauſas quaſdam diuinas peſtium agnoſcit, & profitetur intellectum humanum traſcendere; licet Galenus hanc vocem ad ſolam aeris conſtitutionem, & qualitates retulerit. Sic Ioſephus Quercetanus libro de Luis peſtiferæ fuga: qui tempore Peſtis admonet, indulgēdum eſſe quieti, ne ſpirituum vitalium commotione incendium facile excipiatur, ſimulq; fouendam hilaritatem; tempore enim peſtis metus vitæ nocet, cum perpetuam comitem triſtitiam habeat, quæ corporibus noſtris ingerere ſolet hu-

mores atrabilarios omnium, peſſimos vitali facultati obnoxios, ac perniciofos, vt ait Ouidius in Faſtis: *Vires ſubtrahit ipſe Timor.*

Ego verò quoniam aliquãtula experientia ductus potius, quàm ſapientia inſtructus hucuſque de peſte diſſerui, mei imbecillitatis ingenij non immemor, ſapientiſſimorum iudicio diſcutiendã quæſtionem hanc relinquo. Vale. Melitæ Kalendis Septembris 1676.

Tui addictiſſimus Seruus

N. N.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

BIBLIOTECA